



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Aus Vaticanischen Archiven.

Zur Reformgeschichte des Benedictinerordens im XVI. Jahrh.

Von Bruno Albers O. S. B. in Rom.

Auf dem östlichen Ausläufer des 523 m. hohen Mönchsberges zu Salzburg, erhebt sich eine schöne gothische Kirche mit anstossenden Klostergebäuden. Hier wohnen seit Jahrhunderten gottgeweihte Jungfrauen. Töchter des hl. Benedict sind es, welche mit den Mönchen des im Thale gelegenen Peterklosters ihre Stiftung auf den hl. Rupert, den ersten Bischof des römischen „Juvavium“ und dessen Verwandte die hl. Erentrudis zurückführen. Ueber das Zeitalter des hl. Rupert ist noch immer nicht das letzte entscheidende Wort gefallen. Die beste Arbeit über ihm hat Bernhard Sepp¹⁾ geliefert. Sepp versetzt den hl. Rupert in das siebente Jahrhundert, und so wird denn auch der Ursprung der Benedictinerinnenabtei auf dem Nonnberge in die gleiche Zeit fallen.

Die Thätigkeit des Felician Ninguarda für das Hochstift Salzburg ist bekannt. Seinem thätigen und nachhaltigen Einfluss verdankt das Erzbisthum gar vieles in jener Zeit, wo das Concil von Trient eben seine Sitzungen geschlossen und es nun galt, die erlassenen Reformdecrete praktisch zur Anwendung zu bringen.²⁾ Wie für den Säcularclerus, so war Ninguarda auch für die Regularen besorgt,³⁾ und so darf es uns nicht wundern, dass

¹⁾ Sepp. B. Vita Hrodberti primigen. authentica. Pediponti 1891 und: Die Berechnung des Todesjahres des hl. Rupert. München 1896.

²⁾ Vgl. Schellhaas. Nuntiaturreporte aus Deutschland 1572—85. S. XV. Anmerkung 1.

³⁾ Vgl. Jahrgang XXI. (1900) dieser Zeitschrift pg. 197 ss. und XXII. (1901) pg. 113. Schon seit 1895 hat der Verfasser sich mit Ninguarda beschäftigt und seit Anfang 1896 war ein Artikel fertig über Ninguardas Thätigkeit in Oesterreich, speciell in Kärnten, Krain, Böhmen und Steiermark. Derselbe sollte in der Röm. Quartalschrift 1896 abgedruckt werden. Die Redaction vergass den Abdruck, und als Dr. Schellhaas 1898 in den Quellen und Forschungen des Preussischen Institut den Originaltext voröffentlichte, war die Arbeit natürlich nutzlos geworden.

er dem Nonnberge in seiner Eigenschaft als päpstlicher Visitator einen Besuch abstattete, um dort eine kanonische Visitation abzuhalten. Die *Varia Politicorum*¹⁾ geben uns unter dem Titel „Compendium Visitationis monasterii Salzburgensis Beatae Mariae Virginis et Sanctae Erentrudis, Monialium ordinis Sancti Benedicti in monte“ über Ninguarda's Thätigkeit all dort Aufschluss. Erzbischof von Salzburg war damals Johann Jacob Khuen-Belasy (1566—86), welcher, als er 1579 vom Schlagflusse getroffen wurde, in der Person des Grafen Georg von Khuenberg einen Coadjutor erhalten hatte.²⁾ Ausser der Abtei auf dem Nonnberge bestand noch ein zweites Benedictinerinnenkloster zu Salzburg bei der Mönchsabtei St. Peter. Der Coadjutor hob dasselbe 1584 im Einverständnisse mit dem Abte von St. Peter auf und setzte Franciscaner an Stelle der Nonnen.

**Compendium Visitationis monasterii Salisburgensis.
Beatae Mariae Virginis et Stae Erentrudis Monialium ordinis
Sti Benedicti in monte facta a 1581 de mense octobri.**

1. In hoc monasterio sunt Abbatissa et aliae novem moniales, nulla autem novitia.

2. Suscipiuntur virgines ad habitum et professionem Ordinario non admonito.

3. Habitus ordinis novitiis datur in choro, ubi etiam nunc professio fit sub summo officio, quod ibi canitur ab aliquo sacerdote et eodem tempore abbatissa abscondit capillos ac velum nigrum tradit, quae tamen antea fieri solebant in capitulo.

4. In susceptione alicujus tam ad habitum, quam ad professionem intromittuntur consanguinei et noti et in professione exhibetur illis convivium in refectorio cum monialibus, absente professa, quae per triduum cubiculo includitur, nec potest exire nisi ad chorum deducta et reducta a sua magistra.

5. In professione imponitur ab abbatissa digito monialis annulus aureus, quem professa potest semper portare si vult, quo loco lapidis continetur nomen Jesu.

6. Ubi plures sunt novitiae singulae habent singulas magistras, a quibus docentur primum germanice, deinde latine legere, postea canere horas canonicas et alia juxta ceremonias et ritus monasterii, et regula illis praelegitur per medium annum aut circiter ante habitus susceptionem, ut inde sciant se declarare an velint suscipere necne.

¹⁾ Archiv. Vatican. Var. Politic. 102 pg. 300. Nr. 10.

²⁾ Vgl. den Artikel Salzburg von P. Dr. Willibald Hauthaler O. S. B. im kath. Kirchenlexikon.

7. Confitentur autem in capitulo, ubi ad hoc est oratorium praeeparatum, communionem sumunt in choro sub missa, quam celebrat aliquis ex sacellanis.

8. Venerabile Sacramentum asservatur in choro monialium et monialis custos retinet claves tabernaculi, nunquam tamen ipsa aperit, sed tradit claves sacerdoti cum opus est. Servatur etiam venerabile Sacramentum inferius in ecclesia prope Summum Altare, cujus claves habent sacellani.

9. Confessarium et sacellanos abbatissa suscipit ad libitum absque scitu Ordinarii, circa tamen confessarii susceptionem consulit etiam moniales.

10. Monialis infirma non confitetur nisi immineat vitae periculum et tunc etiam ei porrigitur viaticum et cum laborat in extremis etiam sacra unctio confertur.

11. Sacellani, iudex, scriba et quindecim alii famuli habent mensam in communi triclinio et uxor iudicis ordinarie comedit cum abbatissa imo etiam iudex, quando sacellanis maturius apponitur mensa quam aliis, si non possunt expectare.

12. Scriba modernus monasterii Matthias Seibold de Dingling ex Bavaria, Ratisbonensis dioecesis non communicavit hoc anno tempore Paschali et praeter hoc est etiam suspectus in fide. imo postea cum fuisset ipsemet examinatus, repertus est esse hereticus.

13. Hoc monasterium est in duas partes divisum, in una habitant moniales, in altera abbatissa, et in ea parte, qua comorantur moniales, quae proprie vocatur monasterium, licet servari deberet clausura, non tamen semper custoditur.

14. Consanguinei enim et alii utriusque sexus noti monialium, non solum in abbatiam, sed etiam intra saepta clausurae monialium intromittuntur et cum eisdem monialibus aliquando comedant, extra rectorium tamen.

15. Muri clausurae sunt circumquaque satis alti et tuti, nisi quod ex abbatia aliquae fenestrae etiam inferiores respiciunt ad viam publicam, ita ut possint cum transeuntibus familiariter loqui.

16. Habent moniales versus abbatiam rotam et fenestram cum duplicatis cancellis ferreis, sed non sunt in usu, nisi adveniunt ignotae personae.

17. In abbatia, quae a clausura monialium est sejuncta pernoctant advenientes consanguinei et officiales utriusque sexus cameris tamen separatis, imo ordinarie habitant oeconomus eum sua familia, Scriba et alia quatuor (!) famuli.

18. Intra clausura vero monialium nulla persona peregrina pernoctat, nisi sit mater vel soror alicujus monialis, cui conceditur ad noctem vel duas.

19. Interdum ad preces consanguineorum permisit abbatissa, ut aliquae moniales descenderint in civitatem ad convivium etiam vesperi.

20. Interdum moniales peregrinantur ad visitandos consanguineos maxime aegrotos ad aliquot milliaria.

21. Praeterea quater in anno exeunt moniales spatiatum cum decana cum quibus etiam abbatisa vadit aliquando et aliqui ex saccellanis ferme semper.

22. Moniales aliquando intersunt choreis in abbazia tempore carnisprivii, sed non saltant. Interfuerunt etiam in civitate dum essent in conviviis, sed ipsae non saltarunt. Et intra clausuram monialium prope dormitorium illarum fuerunt semel anno superiore ductae chorae quas tangebatur fidicina civitatis licet moniales non saltarint, sed tantum saeculares utriusque sexus, qui ingressi fuerant.

23. Abbatisa aliquando egreditur curru, tum ad colligendos proventus tum ad amicos vel consanguineos, et emanet ad duos vel tres dies ad summum, et tunc ducit secum duas vel tres moniales et tres vel quatuor famulas.

24. Ad abbatiam utriusque sexus hominibus patet ingressus.

25. Quando abbatisa habet convivas solet etiam ad coenam adhibere unam vel duas moniales.

26. Vinum minutim in abbazia venditur, quo confluit populus et bibit sua pecunia.

27. Abbatisa non ingreditur chorum tempore matutini et aliarum horarum nisi in magnis solemnitatibus, in quibus ipsa dirigit et quandoque manet in suo oratorio, quod est in muro ecclesiae.

28. Abbatisa non ingreditur ordinarie capitulum, sed tantum series vel oclies manno neque ordinarie comedit cum monialibus.

29. Abbatisa solet suscipere infantes ex sacro fonte, aliae moniales non.

30. Abbatisa nullam habet cellerariam hoc est oconomam, sed per se vel famulos colligit omnes proventus monasterii, nec refert in unum librum, nisi quod tantum in registris notat, cum aliquis solvit suum censum. Ita etiam quae venduntur vina ac frumenta non inscribuntur, nec ulla ratio ponitur, ita ut nulla monialis sit, quae de statu monasterii sit instructa.

31. Non sunt ordinarie ullae moniales a consiliis, sed cum res exigit, abbatisa consulit omnes, quas ipsa vult.

32. Sigillum abbatae servatur apud abbatissam et sigillum conventus est in monasterio cujus claves retinent decana et Senior.

33. Monasterium debet diversis ad 1200 florenos, sed habet etiam aliqua credita. Hoc debitum putatur majori ex parte abbatissae modernae contraxisse.

34. Pecunias a consanguineis vel aliis notis donatas de licentia abbatissae possunt accipere, retinere et in suis necessitatibus exponere.

35. Oeconomus omnes habuerunt habitationem suam prope domum sacellanorum, sed modernus habitat in abbacia prope habitationes abbatissae cum uxore et ancillis.

36. Alia multa consulto ommissa sunt brevitatis causa, cum tanti non referant.

37. Hoc monasterium non reperitur fuisse visitatum ab anno 1451 in hanc diem usque.

Ordinationes Rmi D. Episcopi Scalae Nuntii Apostolici etc. pro monialibus monasterii Bmae Virginis Mariae ac Stae Erentrudis in monte, ordinis Divi Benedicti Salisburgensis civitatis.

Fr. filicianus etc... Visitationis omnium et singulorum cujuscumque ordinis et sexus monasteriorum etc. venerabilibus nobis in Christo dilectis abbatissae et monialibus monasterii Beatiss. Virginis Mariae ac Stae Erentrudis salutem in Domino sempiternam. Regularibus personis nihil est laudabilius nihilque ad animae salutem utilius, quam ut sedulo labore, quae ad suae professionis perfectionem, regulae, clausurae, votorum et ordinis peculiaria statuta ac praecepta, necnon ad communem vitam victum et vestitum pertinent, fideliter observentur, diligenterque retineantur. Quae ubi, violata sunt et intermissa, per visitationis ac reformationis remedia restitui atque in pristinum usum reponi necessario debent. Hinc est quod cum in visitatione, quam apud vos nuper confecimus sane nec pauca nec parva observaverimus, quae matura opus habent emendatione, mutatione et reformatione; ex officio quo tenemur ex Smi Dni nostri commissione vobis sequentes ordinationes ex medio instituti vestri ordinis, ex sacris canonibus depromptas juxta praesentem monasterii vestri necessitatem praescribendas fore duximus, omnibus et singulis conjunctim et divisim, tam capitibus, quam membris praesentibus ac quovis tempore futuris in virtute Stae oboedientiae ac sub interminatione maledictionis aeternae, auctoritate Apostolica nobis concessa et qua hac in parte fungimur praesentium tenore serio mandantes, ut eas ad effectum debite adducere et qua oportet sedulitate custodire debeatis. Et quoniam parum esset condere jura, nisi ea executioni demandarentur, hujusmodi ordinationum nostrarum, quatenus debitum effectum consequantur supremam inspectionem et curam Illmo ac Rmo D. Archiepiscopo et coadjutori necnon eorum officiali et vicario generali sub divini judicii obstestatione districte committimus et commendamus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Quoniam sacrosancta synodus Tridentina Bonifacii VIII constitutionem quae incipit „Periculosi“ renovans universis episcopis sub obstestatione divini judicii et interminatione maledictionis

aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae autoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est conservari maxime procurent, et Pius V. in duabus bullis quae incipiunt. „Circa Pastoralis officii“ (d. d. 4 Cal. Jun. 1566) et „Decori et honestati“ (d. d. Cal. Febr. 1569) et Sm Dⁿ noster Gregorius XIII etiam in duabus bullis, quae incipiunt „Deo sacris virginibus“ d. d. Cal. Jan. 1572 et „Ubi gratiae et indulta“ d. d. Id. Junii 1575 idem mandant nos etiam periculoso statui vestro providere salubriter cupientes ordinamus et vobis injungimus sub poenis superius expressis et de caetero tam praesentes quam futurae ac tam capita quam membra sub perpetua in vestro monasterio permaneat clausura juxta consiliorum et bullarum praedictarum decreta ac declarationes, quae omnia praesentium tenore publicamus et publicata esse decernimus. Quae sane clausura ita intelligenda est, ut non solum moniales nunquam egrediantur praeterquam in tribus casibus magni videlicet incendii, leprae et epidemiae, sed nemo etiam ad moniales intromittatur sive sit vir, sive mulier praeter quam personae necessariae temporibus itidem necessariis et hoc de licentia Rmi Ordinarii in scriptis obtenta pro hujusmodi personis, veluti visitatores tempore visitationis, confessarius quando infirmis sacramenta debet ministrare, medici et chirurgi necnon opifices et alia hujusmodi aliae personae, quorum opera ex necessitate intus requiruntur et tunc una ingrediatur oeconomus vel confessarius juxta Rmi ordinarii dispositionem, nec ullus cum monialibus cibum sumat. Extra hujusmodi vero necessitatem tam ingredienti quam intromittentes, vel licentiam dantes, praedictas poenas et excommunicationes incurrunt.

Quoniam vero abbatissa prae ceteris ad eandam clausuram observandam astringitur, quod ex officio tenetur prius exemplo, quam verbo alias docere, declaramus sub praedicta clausura illam etiam partem comprehendi, in qua abbatissa commoratur et nuncupatur communi nomine abbatia ordinantes ut septa, quibus invicem se junguntur moniales et abbatissa, e medio tollantur, quatenus mutuum habere accessum libere possint et abbatissa sedulam non tam in choro, quam etiam in monasterio monialium custodiam gerere queat.

Ad dictam clausuram sit unicus ingressus ordinarius, qui duas habeat portas, unam ad viam publicam, et alteram versus moniales. Haec autem tribus seris claudatur, interius duabus et una exterius, ad exteriorem abbatissa apud se clavem semper retineat, quam cum erit opus per rotam exponat, et ad interiores unam decanissa et alteram senior monialis servet. Illi vero sera unica bene firma (!) adhibere poterit ad cujus custodiam

aliqua maturae aetatis et proba mulier, quae intra praedictas duas portas habitat, deputetur. Nulli enim moniali, etiam tertiariae egredi a janua monasterii, quae est pro clausura ipsius monasterii etiam ad claudendum aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus secularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquii destinata, quae vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam januam clausurae, quae loca, cum saltem pro causis praedictis patere soleant saecularibus extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. Aliae vero portae omnes, quae vergunt ad viam publicam, cum non sint necessariae muro claudantur.

Prope interiorem portam ordinarii ingressus accommodentur rota et fenestella adhibitis cancellis ferreis ac ferrea crate perforata pro communi usu familiae et aliorum accedentium et tam rota, quam fenestella praedicta interius muniantur firmis ostiis quorum clavis interdiu monialis, quae ad custodiam interioris portae erit deputata, et noctu abbatissa asservet.

Prope eandem portam interiorem ad clausurae parietem, tam intra quam extra erigatur aliqua habitatio in qua moniales cognati invisere, oeconomus et alii officiales monasterii rationes ponere, subditi census praesentare nec non alii negotia, quae longius tempus requirunt tractare et expedire possint. Et ad hunc effectum in muro intermedio accommodentur fenestra cancellis ferreis bene munita et rota cum ostiis, seu valvis, quae interius claudantur et inter ostium sive valvas et cancellos ferreos interseratur crates ferrea perforata seu rete ferreum, quod tamen aperiri et claudi queat. Claves autem tam ad praedicta rotae et fenestrae ostia seu valvas, quam ad interceptum rete vel cratem abbatissa semper apud se retineat. In hoc etiam loco R^{ms} Ordinarius vel ejus commissarii possunt in electione abbatissae juxta concilium Tridentinum monialium suffragia excipere.

Ordinamus, ut non solum muri, qui clausuram ambiunt, in eam altitudinem circumquaque extollantur, ut nemo facile transgredi queat, sed etiam fenestrae omnes in extremis clausurae muris obstruantur, aut si quae, lucis causa, permitti debent, ita sint a terra sursum versus remotae, ut scalis ad eas difficulter perveniatur et cancellis ferreis ita muniantur, ut nullum inde periculum emergere possit.

Fenestrae etiam interiores, quae ad partes respiciunt, in quibus familia habitat, si per eas moniales prospicere, aut ab aliis possunt prospici, obstruantur, praesertim quae colloquendi etiam commoditatem praebent; ubi vero aliquae omnino necessariae videbuntur, maxime propter lucem, ita accommodentur, ut moniales per illas nec videre neque alios videre queant.

Porta ferrea cellarii, quae tendit extra clausuram, quatuor seris firmis claudatur, duobus interius et aliis duobus exterius dispositis, quarum claves externarum abbatissa, et internarum una decanissa, et senior monialis alteram custodiant. Nullo autem tempore aperiatur, quam cum vinum et dolia demittenda erunt vel eximenda.

Foramen illud prope vetus monialium refectorium vergens extra clausuram monasterii et late patens per quod aqua effunditur ita accomodetur ut sit subterraneum vel aliter communiatur.

Cum familia hactenus in abbazia cibum sumpserit et clausura obstet, quominus id post hoc fieri possit, hujusmodi mensa in domum sacellanorum vel contiguam oeconomi seu iudicis transferatur.

Vinum, quod ante in abbazia minutim vendi solebat, posthac extra clausuram sub cura oeconomi poterit esse venale.

Quoniam S^{ms} Dominus noster in supradicta bulla mandat, omnia ostia monasteriorum monialium ad ecclesias saecularibus patentes muribus obstrui inquit: „Declaramus, nullis monialibus et tertiaris licere habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit in ipsarum monialium ecclesiam exteriorem, in qua saecularibus ad missas et divina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum,“ etiam nos hoc praeceptum hisce ordinationibus inserere deberemus, pro nunc tamen vestris supplicationibus nobis instanter porrectis inclinati, propter tam virginum susceptionem ad habitum, tum sacramentorum administrationem monialibus infirmis, tum etiam sepulturam monialium, permitimus, ut ea sola janua, quae sub choro monialium est manere possit, usque ad ulteriorum S^{mi} Domini nostri, cui supplicabitur, dispositionem, ita tamen, ut tribus seris clausa semper retineatur, quam una exterius et aliae duo interius apponantur et claves exterioris abbatissa, et interiorum una decanissa, ac senior monialis alteram servant, nec ullo tempore aperiatur, nisi ubi praedicti usus id necessario exigent. Altera vero janua, quae est prope summum altare ad abbaziam muro claudatur.

In dicto loco januae prope summum altare muro claudendae accomodetur confessionale instructa in muro fenestellae unius palmi cum crate ferrea parvis foraminibus perforata et confessionale tam interius quam exterius ostio claudatur cujus clavem interni quidem abbatissa, externi vero confessarius retineat. Ita enim confessarius extra clausuram monialium intra clausuram existentium confessiones audire commode poterit. Et prope confessionale sit etiam rota interius ostiolo septa, qua necessaria pro divino cultu exponantur, quae ordinarie claudi debet et ejus clavem retineat apud se sacristaria.

Ad porrigendam autem sacram communionem accommodetur aliquis locus in ecclesia inferius, si erit possibile, sin minus prope chorum monialium cum scala, per quam sit accessus in parte exteriori, ubi sit fenestra unum palmum lata etc. longa unum cum dimidio, per quam sacerdos sacrosanctam Eucharistiam communicantibus monialibus praebat. Et haec fenestra sit etiam duobus estiolis ferreis interius et exterius munita, quarum claves abbatissa conservet, nec alio quam communionis tempore aperiri sinat.

Quoniam sacrum Concilium Tridentinum¹⁾ prohibuit, ut S^mi Christi corpus intra chorum vel septa monasterii monialium conservetur non obstante quocumque indulto aut privilegio, mandamus ut ex choro monialium removeatur et in publica tantum ecclesia in proprio loco prope summum altare conservetur, quo a monialibus ex choro prospici et inde per supradictam portam ad infirmas deferri potest.

Processiones monialium, quae per templum extra clausuram fieri solebant post hac in claustro intra clausuram existentem instituantur.

Quia monialium sepultura est extra clausuram, ubi aliqua morietur, ejus funus saltem usque ad portam clausurae comitentur deinde conferant se in chorum et pro defuncta orient. Cum hoc tempore propter hyemis impedimenta supradicta clausura, quoad portas, rotas fenestras, confessionale, et communionis locum accommodari non possit ea omnia ad debitum effectum integre adducendi terminum usque ad proximum festum Pentecostes concedimus, declarantes interim illas tantum partes sub clausura comprehendendi, quae pro monialibus hactenus destinatae fuerunt, ubi jam rotae ac fenestram habent ad colloquia et necessarios usus accedentium, ita ut neque illis exire, nec aliis eo ingredi liceat praeterquam in praedictis casibus. Confessarius etiam hoc toto tempore ingredietur ad audiendas monialium confessiones ac porrigendam confessionem. Interea temporis etiam abbatissa nullum virum in abbacia pernoctare sinat nec ipsa extra abbatiam pedem efferat. Oeconomus etiam non in abbacia, sed in propria domo aedibus sacellanorum contigua habitat ibique, vel in habitatione sacellanorum, mensam habeat familia.

Postquam clausura fuerit perfecta intra eam plures ancillae ne retineantur, quam sint necessariae ad usus domesticos, quae etiam nec suscipiantur neque dimittantur absque scitu R^mi Ordinarium vel ejus Vicarii generalis. Quamdiu autem erunt in hujusmodi servitio extra clausuram egredi ne permittantur. Quod si fieri potest, suscipiantur aliquae ad habitum conversae, quae loco ancillarum inservire monasterio possint.

¹⁾ Ses XXV. C. X. de reg et mon.

Abbatissa et moniales omnes singulis mensibus semel ad minus (juxta decretum sacrosancti Concilii Tridentini et constitutiones provinciales) confessiones peccatorum faciant et sacrosanctam eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas.

Nullus confessarius ab abbatissa seu monialibus suscipiatur, nisi de concessione et approbatione R^{mi} D. Archiepiscopi Ordinarii vel ejus officialis, vicarii generalis, qui nullum admittere debet nisi sit aetate, sufficientia et moribus maturus et non scandalose antea vixerit. Nec moniales et abbatissa ulli alii confiteantur, quam ita deputato.

Praeter ordinarium confessarium alius extraordinarius eisdem monialibus ab eodem R^{mo} Ordinario bis aut ter in anno juxta praedictum decretum Concilii Tridentini offeratur; qui omnium monialium confessiones, si ipsae voluerint, audire debeat.

Licet matutinum et aliae horae canonicae debitis temporibus persolvantur, curandum tamen etiam est, ut distincte, modeste ac devote peragantur, id quod non decanissae modo, verum etiam abbatissae, cujus praecipuum officium est, cordi esse debet. Propterea praecipimus abbatissae, ut non solum summo officio quotidie, sed etiam matutino caeterisque horis canonicis in monialium choro intersit, cum eisdem monialibus cantando vel legendo, nec emanat, nisi sit infirma aut monasterii negotiis valde occupata.

Quamvis juxta sanctiones ordinis et consuetudinem monasterii quotidie in capitulo post primam martyrologium et aliquid ex regula recitetur, quod et in posterum praesente abbatissa cum omnibus monialibus, nisi aliqua fuerit legitime impedita, observari volumus, nihilominus etiam ordinamus, ut abbatissa, vel ipsa infirma decanissa singulis feriis sextis omnes moniales in capitulo congreget ad easque piam aliquam adhortationem, prout res et tempus dederint occasionem, habeat, deinde occurrentes monialium excessus tam communes, quam privatos corrigat et in illarum orationibus et precibus non solum benefactores vivos ac defunctos, sed etiam utriusque status ecclesiastici ac saecularis capita et praesides commendent cum omnibus christifidelibus illis commissis. Singulis quoque septimanis semel legatur in refectorio vel capitulo charta visitationis anno domini 1451 facta.

Abbatissa ordinarie mane ac vesperi comedat cum monialibus et omnibus pro necessitate dentur fercula aequaliter juxta dierum requisitionem cum pane et vino ad sufficientiam et quicquid superest conservetur pro communi usu aut detur pauperibus.

Licet autem monialibus cibus et potus ad sufficientiam praebeantur, caveant tamen ipsae ne usque ad crapulam et ebrietatem multorum malorum escam saturentur.

Jejunia Quadragesimae et alia ab ecclesia sub praecepto indicta curet abbatissa, ut exacte custodiantur, ita ut tantum unica in die apponatur integra refectio circa meridiem, ita ut vesperi nihil detur praeter haustum vini et parum panis vel quid simile. Infirmis tamen, senibus et junioribus, quae 21^{um} annum nondum attigerunt, interdum vesperi offa vel pulmentum praesertim quando sunt multa jejunia, veluti in Quadragesima concedi poterit. Jejunia etiam ab ordine instituta diligentur observentur, nisi aliquando ex causa rationabili videatur abbatissae esse dispensandum, qua tamen ne abutatur.

Ad mensam tempore prandii ac coena non solum in refectorio, sed etiam in altero loco, ubi carnibus ex dispensatione apostolica quibusdam certis diebus in ecclesia licitis vescuntur, aliquid semper ex sacris libris germanice legatur, quam lectionem praecedat benedictio, et gratiarum actio subsequatur cum psalmo Miserere mei Deus et processione post prandium ad ecclesiam vel capitulum, cujus diligentem curam abbatissa habeat.

Ut autem abbatissa supradicta omnia absque impedimento uti tenetur exequi possit ordinamus et statuimus, ut praeter decanissam et cellariam, aliam ex senioribus in oeconomam, seu procuratricem, quam ordo Benedictinus Cellerariam appellat, instituat ab Ordinario approbandam, quae rerum temporalium curam habeat, admonita tamen quotidie abbatissa, ut juxta ipsius voluntatem ac dispositionem omnia dirigantur et fiant.

Abbatissa vero eligatur non minor annis quadraginta et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, quod si his qualitatibus non reperiatur in hoc monasterio et alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni praeesit videatur ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint et quinque saltem annis post professionem rectae vixerint R^{mo} archiepiscopo ejus ordinario consentiente eligatur. Quae electio non in monasterio, sed ad fenestram collocatorii juxta concilii Tridentini decretum fieri debet.

Abbatissa sedulo det operam quatenus novitiae, quae ex seculo in monasterium se receperunt, ut Christi sponsae sint, in pietatis, timoris Domini, pudoris, sanctimoniae, gravitatis, modestiae, humilitatis, regulae, constitutionum, virtutum omnium virgines Deo consecratas decorantium et regularis perfectionis studiis diligentur educentur atque instituantur. Quales enim sunt in juventute, tales plerumque etiam in senectute manent, juxta illud Sapientis „Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.“ Quo autem inter illas uniformis servetur disciplina ordinamus, ut eadem sit omnium magistra, a qua tam juniores professae, quam novitiae non solum doceantur, et informentur,

sed etiam ubi deliquerint puniantur, nisi forte defectus sit ita gravis, ut etiam abbatissa merito consulenda videatur.

Nulla puella posthac in monasterium suscipiatur nisi duodecimum annum excesserit, nec ad habitum, ad professionem admittatur, nisi prius fuerint excepta monialium suffragia et examen a R^{mo} Ordinario vel ejus officiali, vicario generali praemissa.

Nulla novitia ad faciendam professionem admittatur ante decimum sextum aetatis annum expletum, nec quae minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit juxta concilium Tridentinum sess. XXV. de regul. et monial. c. 15.

Professio autem fiat verbis germanicis nec solum scripto, sed et viva voce in qua prius instrui debent, ut intelligant promissiones, quas faciunt, praesertim circa vota et clausuram.

Professionem factura prius sacramentaliter confiteatur, et sacram Eucharistiam sumat, cui abbatissa in susceptione professionis etiam velum nigrum a R^{mo} Ordinario vel ejus suffraganeo prius benedictum, tradat cum caeremoniis consuetis.

Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta synodus Tridentina statuit atque decernit, ut si puella, quae habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito ejus vicarius aut aliquis ab eo deputatus virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat. Et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas, juxta monasterii illius et ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum libere ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur abbatissa eum ante mensem certiore facere. Quodsi abbatissa episcopum certiore non fecerit, quandiu episcopo videbitur ab officio suspensa sit.

Anathemati sancta synodus Tridentina subjicit omnes et singulas personas cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos saeculares vel regulares atque etiam qualibet dignitate fulgentes si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam praeterquam in casibus in jure expressis ad ingrediendum monasterium vel ad emittendam professionem, quique consilium auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere aut professionem emittere quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel autoritatem interposuerint; simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginem vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impederint. Eaque omnia et singula, quae ante professionem vel in

ipsa professione fieri oportet serventur non solum in monasteriis subjectis episcopo sed et in aliis quibuscumque.

Habitu integrum non solum novitiae, sed etiam ceterae omnes moniales deferant instituto suo convenientem et laneis lintheaminibus utantur indusiisque si possibile fuerit, sin minus lineis, non tamen lactucatis ac rugosis sed simplicibus et modestis.

Abbatissa et decanissa saepe cubicula sororum inspiciant ac visitent et si quid invenerint statui ipsarum non conveniens auferant et illas puniant. Nulla monialis nec munera, necque litteras mittat vel accipiat sine scitu et licentia abbatissae, si quae secus fecerit, eam abbatissa carcere et jejuniis in pane et aqua pro rei exigentia (!) puniat.

Injungimus autem abbatissae in virtute sanctae oboedientiae et sub divina indignatione ne cui moniali licentiam det litteras accipiendi aut mittendi nisi prius ipsamet eas legerit aut legi audierit.

Ad curam rotae communis duae deputentur una ex senioribus velatis, et altera ex conversis aut junioribus velatis, et haec subjaceat seniori, quae sola respondeat advenientibus cum omni modestia, gravitate ac prudentia.

Janitrici et rotariis sub poena privationis officiorum et inhabilitatis ad illa et alia mandamus ne concedant, ut moniales litteras vel munera extra monasterium mittant aut ab exteris accipiant nisi prius de licentia abbatissae id fieri noverint et eam ob causam quotiescunque a monialibus litterae aut munera tradentur exteris mittenda vel ab exteris accipientur monialibus praesentanda, volumus, ut abbatissae prius indicent et ostendant quam reddantur.

Nemo sive vir sive mulier ad colloquium cum aliqua moniali ad fenestras vel rotas admittatur nisi de licentia abbatissae, quae hujusmodi facultatem concedere non debet, nisi etiam alia ex senioribus, quam ipsa deputaverit colloquio intersit, etiam si fuerint parentes, qui loqui petierint. Juniores autem moniales ne permittat a quibuscunque praesertim viris conveniri etiam praesente seniore deputata, sed ab iis tantum, qui sanguine vel affinitate illis juncti sunt, aut saltem abbatissae bene noti, de quibus nulla queat esse prava suspicio.

Inter tria essentialia regularium fundamenta, nimirum vota oboedientiae, castitatis et paupertatis primas partes sibi vindicat oboedientia, sub qua caetera dua contineri videntur. Quapropter omnes, tam abbatissam quam moniales admonemus, ut non solum facto, sed etiam voluntate superioribus suis obedire debeant. Quod si quae restiterit, si erit abbatissa puniatur juxta inoboedientiae qualitatem etiam ad depositionem si res ita exiget procedendo, si vero alia monialis secundum regulam et statuta ordinis serio castigetur.

Pro voto paupertatis ad detestabile proprietatis vitium tollendum ordinamus, ut omnia vobis communia sint et distribuantur ab abbatisa, vel ejus vices in hoc gerente etiam novitiis non solum victus, sed etiam tegumentum et alia necessaria etiam in infirmitate juxta monasterii facultatem et prout cuique opus fuerit. Proinde nemini ex vobis (juxta Concil. Trident. sess. XXV. de regular. et monial. cap. 2). liceat bona imobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo a vobis acquisita tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim ea abbatisae tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat abbatisae pecuniam annuam aut bona stabilia alicui moniali concedere etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasterii seu conventus ad solas officiales ejusdem ad nutum abbatisae amovibiles pertineant. Mobilium vero usum ita abbatisa permittat, ut earum suppellex statui paupertatis, quam professae sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quae aliter quicquam tenere deprehensa aut convicta fuerit biennio activa et passiva voce privata sit atque etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur; per hoc tamen non prohibetur, quominus aliquando a consanguineis et notis de licentia abbatisae pecuniam vel hujusmodi alia accipere possint dummodo statim abbatisae, vel depositariae, quam Abbatisa deputaverit, conservanda tradant, nec ea cum indigebunt nisi de licentia abbatisae accipiant.

Abbatisa diligentem adhibeat curam, ut monialibus infirmis non solum de victu sed etiam medicinis et medico et famulatu prospiciatur.

Abbatisa etiam consideret se non esse dominam bonorum monasterii sed tantum dispensatricem, et ob hoc accurate videat, ut ea omnia recte dispensentur, cum non solum R^{mo} D. Ordinario et aliis superioribus, sed etiam Deo rationem reddere teneatur.

Et quoniam in tot annis, quibus ipsa praefuit monasterio, nunquam fecit ratiocinia ordinamus ac praecipimus, ut infra spatium trium mensium coram monialibus senioribus et aliquibus commissariis R^{mi} D. Ordinarii totius administrationis suae rationes ponat omni accepto et exposito in certa registra prius relato.

Ut in posterum melius consulatur utilitati monasterii ordinamus, ut praeter Cellariam, quae curam habebit inscribendi suis registris omnia quae singulis diebus exponantur pro usu culinae, reddita ratione singulis septimanis coram abbatisa decanissa et celleraria, abbatisa infra spatium duorum mensium deputet praedictam Cellerariam hoc est oeconomam, quae curam habere debeat universalium omnium proventuum et expensarum

generalium monasterii, ita ut tam acceptum, quam expensum singulorum dierum in codicem referat et semel in angaria abbatissae coram senioribus monialibus monasterii rationem exactam reddat et singulis etiam annis generale ratiocinium praesentibus deputatis a R^{mo} Ordinario faciat. Pecuniae autem, quae colliguntur ex censibus redditibus ac frumentorum, vini, et hujusmodi rerum aliarum venditione, praesertim, quando est magna summa in libera dictae oeconomae seu abbatissae potestate non relinquuntur, sed in aliqua arca bene munita, ubi etiam sit sigillum monasterii, conserventur sub tribus distinctis seris, quarum claves unam abbatissa, alteram decanissa et tertiam oeconomia custodiant et inde temporibus suis pecunia ad necessarios usus accipietur.

Prohibemus sub poena excommunicationis latae sententiae ne abbatissa bona immobilia aut etiam mobilia magni momenti emere, vendere, oppignorare, commutare aut quomodoocumque alienare possit sine expresso capituli ad signum campanae in loco capituli consueto congregati consensu in scriptis relato et ordinarii approbatione etiam in scriptis obtenta. Qui nec ipse licentiam vendendi concedat, nisi sanctam Sedem Apostolicam consuluerit, alioquin venditio aut alienatio nulla sit. Et si quid haecenus in oppositum actum est, totum irritum sit et inane.

Similiter interdicimus ne abbatissa pro aliquo fide jubeat, maxime ubi agitur de magna summa et (!) haecenus ab aliquibus cum gravi monasteriorum dispendio factum est. Quae si contra fecerit illico praelatura sit privata et ad illam rehabendam ac omnes alias inhabilis.

Abbatissa quatuor vel tres aut duas ad minus si pauciores sint moniales habeat consiliarias ex senioribus et prudentioribus delectas et ab ordinario approbandas, quae in quibusdam locis discretas appellari solent, cum quibus omnia monasterii negotia conferat et absque illarum consilio in rebus praesertim arduis nihil statuatur aut efficiatur.

Quoniam monasterium debet multum aeris alieni sedulo videndum est, ut non solum non augeatur, sed jam contractum etiam paulatim dissolvatur, quo autem modo id fieri possit abbatissa, adhibitis monialibus in consilium, quam citissime rationem ineat, super quo etiam R^{mi} D. Ordinarii deliberationem requirat, et in posterum diligenter prospiciat ne annuatim plus expendatur, quam in proventibus habeatur. Hoc vere multum promovebitur, si familia minus necessaria, tam in monasterio quam extra amoveatur, communicato prius consilio cum R^{mo} D. Ordinario. Multa enim sunt officia pluribus commissa, quae paucioribus demandari possent, multae etiam ancillae adsunt, quibus monasterium citra dispendium imo cum fructu carere potest. Insuper etiam abstineat abbatissa a conviviis exhibendis. Et si qui ex consanguineis monialium

aut benefactoribus monasterii venerint poterunt quidem extra clausuram tamen ad unum vel duos dies hospitio suscipi, sed ita modeste tractentur ut omnes inde sobrietatis exempla potius petere, quam nimia affluentia et luxu scandalizari possint.

Moniales sacrilegium carnis committentes notorium praeter carceres, jejunia et alia macerationis genera ad dispositionem Rmi Ordinarii infligenda, si fuerint in dignitate, gradu et officio aliquo constitutae ipso facto sint hujusmodi dignitate, gradu, honore seu officio privatae absque ulla spe restitutionis sin aliae, sint perpetuo inhabiles ad praelaturam et alios honores atque officia gerenda. Ubi verum hujusmodi peccatum secretum erit juxta sacros canones et regulae sanctiones puniantur.

Ut autem hae ordinationes nostrae melius memoriae haereant et diligentius ad effectum adducantur mandamus ut singulis feriis sextis publice in refectorio vel capitulo in linguam german. versae legantur.

In quorum omnium et singulorum fidem his sigilli nostri, quo in talibus utimur impresse munitis propria manu subscripsimus.

Datum Salisburgi anno Domini M.D LXXXI die vero XXII mensis Octobris Pontificatus Sni D. N. Domini Papae Gregorii XIII. Anno Decimo.

Acta in visitatione monasteriorum fratrum et monialium ordinis Sti Benedicti ad Stum Petrum Salisburgi de Mense Septembri 1581.

In visitatione monasterii Salisburgensis ad Stum Petrum ordinis sancti Benedicti, in quo erant 12 Sacerdotes, tres diaconi, unus accolythus ac duo novitii, reperti sunt nonnulli defectus notorii, maxime circa mulierum accessum, abbatis convivia superflua, immoderatas computationes, mulierum commercium, prodigalitem ac debita, quibus licet quantum fieri potuit, salutaribus remediis provisum esset; cum tamen abbas in aere alieno praeter modum augendo pergeret, nec se in praedictis rebus emendaret, fuit postea depositus et carcere punitus, aliusque in ejus locum canonice successus, ut monasterii rebus melius consuleretur.

In annexo etiam ejusdem ordinis monialium monasterio praedicto, fratrum monasterio incorporato, ubi sex erant professae et quatuor puellae seculares ad habitum suscipiendae, circa novitiarum susceptionem et professionem, mulierum saecularium ingressum et reliquam clausurae integritatem et convivia prout opus videbatur, quaedam pauca ordinata sunt, sed tamen postea monialibus intra annum majore ex parte mortuis et reliquis superstitionibus, ob causas honestas praesertim aeris inclusi ad monasterium in monte positum Apostolica auctoritate translatis, concessus est hic locus fratribus regularis observantiae Sti Francisci ad majorem Dei gloriam et civitatis in catholica religione ac vita fructum et profectum.
